

nobis suffragantur. Orobius enim et ex ipso novissime Salvador tueri nituntur synagogam, quod Christum mortu addixerit, quia ipse contra legem se naturalem Filium Dei predicaverat, ut suo loco pariter ostendemus.

Idem dicatur de paganis; Celsus enim passim exagitat christianos, quod dicere solerent, Deum humanæ salutis causa in hunc mundum venisse (1), quod Deum crucifixum et natum admitterent; contendit ex christianorum doctrina de Incarnatione sequi Deum esse mutatum. Sic ceteri ethnici eadem absurda obijciunt apud Arnobium et apud Tertullianum (2). Ex quibus patet agi de re exploratissima. Si his addantur acta Pilati, saltem ante Justinum et Tertullianum exarata (admissa ipsorum suppositione), quæ Christum ut Deum exhibent (3), epistola Plinii ad Trajanum testantis se deprehendisse, quod christiani soliti essent stato die Christo quasi Deo carmen dicere secum invicem (4), epistola Hadriani ad Severianum, exprobrantis Alexandrinis, ab aliis Serapidem, ab aliis adorari Christum (5), evidentiam historicam factum istud assequitur, quod nunquam evertent rationalistæ suis subtilitatibus.

5. Nunc coronidis gratia subjicimus testes particulares ex duobus primis sæculis, seu alios addimus

deus, cur Christus in Ægyptum fugerit, cum Deum mortem timere non doceat, ait enim: *At metus mortis in Deum non cadit. At non potuit magnus ille Deus, qui jam duos propter te angelos miserat, te proprium Filium suum domi tutum præstare?* Et num. 67: *Quamvis in templo te provocaverint Judæi, ut manifesto aliquo signo te Dei Filium esse declarares, et ita passim. Num ad hæc respondet Origenes, male a Judæo exponi doctrinam de divinitate Christi? Absit. Sed quo magis ille quærebat impugnare hanc divinitatem proprie dictam, ipse magis confirmare satagebat, distinguens duas in Christo naturas, divinam et humanam. Limborechius non ita respondit Orobio, eo quod fuerit socinianus. Et en novum argumentum antiquæ ecclesie fidei, et quam vulgata hæc esset apud Judæos et ethnicos! His addantur, quæ in actis leguntur martyrii S. Polycarpi: *Suggerentibus atque instantibus Judæis, scilicet ut Daceus proconsulem adiret moneretque ne cadaver illius (Polycarpi) donaret, ne forte, ut aiebant, relicto Crucifixo, hunc deinceps christiani colere inciperent, τοῦτον ἀρξάνομαι σέβασθαι* (apud Euseb. lib. iv, cap. 15). Adco notum erat Judæis, Christum ut Deum a christianis adorari!*

(1) Cfr. Origen. *Cont. Cels.*, lib. iv, num. 7, 8, 10 et 14; item num. 5 et 7; nec non lib. vii, num. 13; lib. viii, num. 41.

(2) Tertull. *Adv. Jud.* cap. 7, 9 et 11. Arnob. *Disput. adv. gent.* lib. i, num. 23 et seqq. in *Bibliotheca Patrum*, edit. Venet., tom. iv.

(3) Apud Euseb. lib. ii, cap. 2; et apud Tertull. *Apol.* cap. 5; apud Just. *Apol.* 1, num. 48.

(4) Lib. i, Ep. 97. Frustra auctor *Platonismi relecti*, part. ii, cap. 1, nititur ostendere, illis verbis Christum ut Deum minime designari, qui natura Deus sit. Sic frustra Wegscheider § 85, n. b, ex tripode pronunciat: *Hoc testimonium Plinii per se nullius momenti est, neque cultum religiosum Christo ut summo Deo a Christianis exhibitum esse demonstrat.* Cum hoc testimonium mire torqueat unitarios, dicendum est potius illud maximi esse momenti, præsertim si cum ceteris documentis conferatur.

(5) Cfr. Lamprid. in *Vita Alexandri Severi*.

jam allatis proposit. II, cap. II. S. Ignatius in *epist. ad Ephes.* cap. 18, vocat Christum Deum in utero gestatum, et ad *Magnes.* cap. 8, *Verbum æternum a Patre prodiens.* Presbyter ille apostolorum discipulus, apud Irenæum lib. IV, cap. 27, de Christo ait: *Christus Filius Dei, et Dominus Salomonis.* Et ex eodem inquit Irenæus ibid. cap. IV: *Et bene qui dixit ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum; mensura enim Patris Filius, qui et capit eum.* Auctor, qui XII patriarcharum Testamenta supposuit, passim vocat Christum Deum; ut in Test. Simeonis, num. 8: *Deus, corpus assumens, et comedens cum hominibus, salvabit eos* (1), et alibi. Auctor librorum *sibyll.* eadem tradit ex recepta ecclesiæ doctrina; sic lib. VI, pag. 652:

*O lignum beatum, in quo Deus extensus est!*

et lib. VII, pag. 659: *Ipsæ genitus magnus Deus* (2). Et ista delibasse sufficiat ut jam concludamus: Factum, quod constat ex publica professione, ex confessionibus publicis coram persecutoribus pro tribunali interrogantibus, ex consensu sectarum omnium antiquissimarum (una dempta ab omnibus sprete vel impugnata), ex impugnatione et irrisione publica judæorum et ethnicorum, ex testibus omnibus singularibus, qui ea ætate scripserunt, omnia veritatis imo evidentie historice præ se fert argumenta, ut non nisi a pyrrhonista in dubium revocari possit, atqui tale est factum fidei universalis quoad divinitatem Verbi, quæ primis duobus ecclesiæ sæculis obtinuit, ut ex allatis constat; ergo.

Ex his inferimus: 1. Ergo nugæ sunt argumenta quæcumque exegitarunt unitarii et rationalistæ ad eludendas Scripturarum auctoritates, testantes veram divinitatem Verbi.

2. Ergo Verbum sive λόγος est Persona divina subsistens, et non ratio, vis aut sapientia ipsius Dei, ut iidem autumant, sed verus Deus et Filius Dei, Patri consubstantialis.

3. Ergo cum in Deo dari non possit diversitas naturæ, eo ipso quod Verbum sit Filius Dei et Patri consubstantialis, merito patres Nicæni, ad tollenda omnia arianorum effugia, vocem *ὁμοούσιον* homonision, ut fidei tesseram consecrarunt, prout demonstrandum assumpsimus.

#### DIFFICULTATES.

1. Obj. Inconstantia in Filii Dei notione constituenda conspicua, inde videtur repetenda, quod ab initio rei ebristianæ pro christianis habebantur quicumque Jesum Messiam esse existimarent; nulla sive data sive postulata hujus nominis explicatione, ita factum est, ut, quæ apud judæos obtinerent idee populares, ad christianos propagarentur, nec nova-

(1) Plura huic similia ib. videri possunt in *Biblioth. Patrum*, edit. Venet. tom. i. Grabe in *annot. ad Georg. Bulli Defens. fidei nicenæ*, sect. ii, pag. 63, poliora in unum collegit. Quod attinet ad ætatem hujus scriptoris, communis sententia est a Dodwell, Wolfio, Ruchato aliisque criticis admissa, sæculo 1, desinente eum floruisse, Cfr. Gallandi, *Prolegom.* cap. 6, n. 2.

(2) Alia plura refert Maran. lib. ii, cap. 1, num. 5.

rum opinionum fingendarum libertas tolleretur, modo natura Jesu humana Deoque summo subjecta (quod N. T. libri vetabant) in dubitationem non vocaretur (1). Ergo.

Resp. *Neg. suppositum.* Omnia documenta historica contrarium evincunt, et gratuitam adversarii assertionem evertunt. Qui ad christianam religionem ab initio accedebant, ex iis erant, quibus Jesus Christus crucifixus aut scandalum aut stultitia fuerat, ideoque, antequam admitterentur in ecclesiam per baptismum, diligenter instrui debebant, ut anticipata judicia deponerent, et firme crederent in Trinitatem Personarum divinarum atque in mysterium Incarnationis et Redemptionis. Quare symbolum edocebantur, atque ipsis idem diligenter explanabatur. Recepta proinde erat apud christianos illa docendi formula, quam nobis servavit Celsus, acerrimus christianæ religionis impugnator. Hic se profitebatur appime instructum circa modum erudiendi catechumenos; ait enim: *Omnia novi; deinde sic eorum magistros loquentes inducit: Crede hunc, de quo te doceo, esse Filium Dei, quamvis inhonestissime vinculus et turpissime cruciatus fuerit, quamvis heri et nudius tertius in omnium oculis maxima ignominia jactatus et volutatus sit; tanto magis crede* (2). Hinc etiam ibidem commune illud effatum christianis omnibus tribuit: *Crede, si vis salvus esse, aut abi* (3). In systemate rationalistarum nihil facilius fuisset, quam credere purum hominem crucifixum fuisse; ast longe difficilius est credere in Deum crucifixum. Insulsissimum autem est, quod subdit acutus criticus noster de popularibus ideis judæorum propagatis inter christianos ad invehendam fidem de Christi divinitate; cum judæi hac ipsa de causa Jesum sæpius tanquam blasphemum lapidare voluerint, ac demum morti addixerint, eo quod se *æqualem Deo* ac *Filium Dei* fecerit, et *Patrem suum* diceret Deum.

Quod tertio loco addit partim falsum est, partim ipsius hypothesin destruit. Falsum est sollicitos fidei præcones unice fuisse de adstruenda humana Christi natura; nam, ut ostendimus, Joannis in suo Evangelio conscribendo duplex scopus fuit, tum se opponendi hæresi ebionitarum, qui Christi divinitatem negabant, tum simoniarum ac docetarum, qui ejusdem impugnabant humanam naturam. Diximus præterea destrui ipsius hypothesin in eo, quod dicit de studio adstruendi humanam Christi naturam, quia in hanc nefariam hæresin inciderant docetæ, quod indignum ipsis videretur Deum iis subjici, quæ humana sunt, præsertim vero pati et mori. Ex hoc patet quam altas radices egerit sub ipso rei christianæ initio dogma divinitatis Christi; quum potius negaretur ipsius humanitas quam divinitas. Quod confirmatur ex eo, quod ebionitæ paucos et obscuros habuerint fautores, innumeros vero docetæ (4).

(1) Wegsch. § 85.

(2) Origenes *Cont. Celsum*, lib. vi, num. 10.

(3) Ib. num. 11.

(4) Cfr. Maran. lib. ii, cap. 8.

1. Inst. 1. Nazaræi, ipso non excluso Hegesippo, qui erat unus ex ipsis, Christi divinitatem inficiabantur, teste Epiphano, *Hæres. XXXIX*, cap. II, et Theodoro, *Hæres. fabul.* lib. II, cap. II, 2. imo ipso Origene, qui docet omnes judaico-christianos ebionitas fuisse, 3. Cum præterea Hegesippus apud Eusebium, lib. IV, cap. XXII, inter hæreticos minime recenset cerinthianos et ebionitas, imo ibid. cap. XXI, testatur, se, cum Romam profectus esset, ubique eandem fidem invenisse, patet Christi divinitatis dogma duobus primis sæculis minime obtinuisse, et contrariam potius ubique viguisse sententiam (1). 4. Quod vel ipse fatetur Justinus dum in Dialogo cum Tryphone, num. 48, ait: *Sunt quidam, amici, ex genere nostro, qui Christum (Messiam) esse consentunt, quamvis hominem ex hominibus genitum pronuntiant, quibus ego non assentior, nec assentirer, etiamsi maxima pars, quæ mecum consentit, idem diceret.* Ex quibus habemus 1. satis esse, ad religionem christianam profitendam, credere in Christum Messiam; 2. eos, qui negabant Christi divinitatem, minime inter hæreticos fuisse recensitos, sed ad ecclesiam pertinuisse; 3. hanc non fuisse nisi sententiam privatam Justini aliorumque, qui cum eo idipsum sentiebant. Ergo falsum est antiquam traditionem huic dogmati suffragari; sed dicendum, illud a Justini platonica philosophia in ecclesiam sensim sine sensu disseminari coepisse (2).

Resp. Ad 1. *Neg.* Justinus et Hieronymus, qui nazaræos bene noverant et cum illis conversati sunt, aperte eos distinguunt ab ebionitis, ex eo quod illi crederent in Filium Dei, seu Christi divinitatem, isti autem purum hominem dicerent Christum. Justinus enim cum, tanquam dogma ad salutem necessarium adstruxisset Christi divinitatem, loquens de iis, qui religioni christianæ admiscebant legis mosaicæ observantiam, nempe nazaræos, putat eos salvari posse, dummodo ejusmodi observantiam ceteris ad salutem necessariam esse non defenderent. Quod profecto de ebionitis, negantibus Christi divinitatem, non dixisset contra sua principia. S. Hieronymus autem sapissime id ipsum testatur; nobis satis erit recitare ipsius verba ex *Ep. 80 Ad August.*: *Quos vulgo Nazaræos nuncupant, qui credunt in Filium Dei, natum de Virgine Maria* (3). Hieronymo assentitur Augustinus, qui in libro *De hæres.* ait: *Nazaræi cum Filium Dei Christum fateantur... ebionæi Christum etiam tantummodo hominem dicunt.*

Quod si Epiphanius dubitat, an idem senserint nazaræi cum cerinthianis, et Theodoretus affirmat Christum ab eis ut hominem justum honorari, ratio est, quia agebatur de secta obscura ac parum cognita (4).

(1) Ita auctor libri, cui titulus *Judicium Patrum*, apud Bullum *De primitiva et apost. trad.* cap. 5.

(2) Hoc argumentum urget Steph. Curellianus in *Quaternione* diss. i, num. 66, et auctor *Platonismi relecti*, part. ii, cap. 4.

(3) Cfr. Le Quien, *Diss. vii, Danæc.*

(4) Hoc adeo verum est, ut Mosheimius, prout su-

Ex his responsio patet ad id, quod subdunt per summam injuriam de Hegesippo, viro ob integritatem fidei ab omnibus antiquis commendato (1), qui propterea, etsi de circumcissione fuerit, nusquam inter nazaraeos recensetur.

Ad 2. D. Id est, quoad legis mosaicae observantiam, Tr. in neganda Christi divinitate N. Hoc nunquam dixit Origenes, et contrarium constat de judaeo-christianis, tum ex auctoribus antiquissimis, Irenaeo, lib. IV, cap. II, num. 4, Tertulliano, *Cont. Marc.* lib. III, cap. XII, et lib. *Adv. Jud.* cap. IX, tum ex ipsorum scriptis. Auctor enim Homiliarum et Recognitionum, quae vulgatae sunt sub nomine s. Clementis, qui citatur ab Origene, tom. III in *Genes. Philocalia* cap. XXII, et in Math. XXVI, 6, et qui erat ex circumcissione, passim praedicat Filii divinitatem, aeternitatem, omnipotentiam, etc.; quae profecto valde discrepant a sententia ebionitarum (2).

Ad 3. D. Non recensuit ob ipsorum obscuritatem et paucitatem, Tr. eo quod haereticos eos non habuerit N. Transmisimus autem primam partem, cum longe probabilius sit Hegesippum perinde ac Justinum eos comprehendisse, dum pseudo-christos, pseudo-prophetas, pseudo-apostolos commemorat (3). Cum praeterea notum sit ejusmodi haeresin admodum obscuram et ad paucissimos redactam fuisse, mirum esse non debet, si de ea expressam mentionem non fecerit. Erant enim his saeculis de Christi carne longe acriores controversiae.

Ad 4. D. In adstruenda Christi divinitate, C. in ebionitarum dogmate N. Opponit nempe Hegesippus ecclesiarum consensum haereticis marcionitis, valentinianis, etc. negantibus mundum a Dei Filio creatum, eumque descendisse in Virginis uterum, veramque carnem assumpsisse; quae quidem aperta fronte pugnant cum ebionitarum commentis (4). En quam impudenter unitarii in re tam gravi mentantur!

Ad 5. Neg. Totum enim hoc argumentum, in quo triumphum canunt unitarii, non est nisi mendaciorum contextus. Ac 1. falsum est Justinum illis verbis, *ex genere nostro*, designasse catholicos; sed ut excludat judaeos, cum quibus disputabat, generali illa denominatione designat haereticos eadem ratione, qua si nos disputaremus adversus eosdem vel adversus islamitas perius vidimus, censuerit ad saec. IV vel V istorum ortum referendum esse.

(1) Cfr. Bullus loc. cit.

(2) Cfr. Maran. lib. II, cap. 7. Sed nullum dubium relinquit Sulpicius Severus, qui *Hist. sacrae* lib. II cap. 25, scribens de primitiva ecclesia Hierosolymitana, quae non nisi ex circumcissione habuit episcopos suos usque ad Hadriani tempora, discrete testatur, eam *Christum Deum sub legis observatione credidisse*.

(3) Loquens Hegesippus apud Euseb. lib. IV, cap. 22, de haereticis simoniacis, cleobianis aliisque pluribus, concludit: *Ex his orti sunt pseudo-christi, pseudo-prophetae, pseudo-apostoli, qui, adulterinam invehentes doctrinam adversus Deum et adversus Christum ejus, unitatem ecclesiae disciderunt, et ad totum pseudo-christi, pseudo-prophetae, etc.*

(4) Cfr. Euseb. loc. cit.

et paganos, christianos vocaremus protestantes et unitarios, qui in Christum se credere profitentur. 2. Falsum est s. Justinum per illam *maximam partem* denotasse catholicos, quos (num. 33 et 80) omnes inter se consentire asseverat, sed *maximam partem* sectarum, quae (ex eodem Justino, num. 33) conveniebant eum ecclesia catholica in confitendo Jesum et Christum et Dominum esse. Et sane non nisi ebionitas, qui pauci et numerabiles erant, Christi divinitati per ea tempora detraxisse historica monumenta testantur. 3. Falsum proinde est Justinum inter haereticos minime eos recensuisse, qui in Christi divinitatem non crederent; cum hanc sententiam velut humanae doctrinae commentum, contrarium doctrinae praedicatae a prophetis et Christo ipso, rejiciat; subdit enim: *Neque enim humanis doctrinis jussi sumus ab ipso Christo credere, sed iis, quae et a beatis Prophetis praedicata, et ab ipso tradita sunt*. 4. Demum falsum est, Justinum ut privatam suam aliorumque eum ipso sententiam dedisse sententiam de Christi divinitate; sed e contra adeo firmiter profiteretur se adherere huic fidei, ut si non solum sectae, sed, facta impossibili hypothese, vel ipsi catholici hoc dogma desererent, se tamen semper eidem adhaerurum protestetur, qua loquendi ratione etiam usus est Tertullianus disserens de Scripturis, *Contra Praxeam* cap. XVI, quod certe de libera opinione minime dixisset s. Justinus.

Ex his proinde inferimus: 1. traditionem de Christi divinitate adeo fuisse vulgatam, ut eam non solum catholici omnes, sed omnes sectae, ab ecclesia separatae, admitterent, si paucos excipias ebionitas; 2. eos, qui contrariam doctrinam tenebant, adversatos esse prophetarum et Christi ipsius doctrinae, eosque propterea, quod consequens est, extra ecclesiam ac salutis viam fuisse (1).

II. Inst. Si talis fides et constans traditio obtinisset, 1. tanta non reperiretur in patribus antenicenis circa hoc dogma discrepantia, ipso fatente, Petavio, lib. I *De Trin.* capp. III, IV et V. Hinc patres antenicenos antiquissimos jam fidem Nicenam strenue professos esse, frustra probare conatus est Georg. Bullus in sua *Defensione fidei Nicenae*. 2. Sententiam contrariam praeter ceteris bene defendit Dan. Whitby in opere, quod inscribitur *Disquisitiones modestae in Bulli defens. fidei Nic.* edit. 2. Lond. 1720. Ergo.

Resp. ad 1. D. Non reperiretur discrepantia circa dogma, C. circa modum seu loquendi formulas in dogmate ipso vel ejus consecrariis exponendis N. In dogmate enim divinitatis Filii patres anteniceni con-

(1) Cfr. Maran, lib. IV, cap. 5. Et hic notetur, quomodo mentita sit iniquitas sibi; juxta unitarios Justinus omnium primus induxit in ecclesiam suum platonismum, et proinde doctrinam de divinitate Christi, ac ita profecit, ut in universam ecclesiam irruerit; attamen juxta eosdem auctores, teste Hegesippo, qui annis quadraginta post Justinum scripsit, nempe sub Eleutherio, universa ecclesia profitebatur doctrinam ebionitarum contra divinitatem Christi. Quam bene!

cordes et unanimes sunt, neque unus ex ipsis afferri potest, qui contrarium aperte doceat, neque hucusque ab unitariis prolatus est. Ast nondum certa loquendi forma, seu, ut cum recentioribus loquar, *terminologia* universim constituta, minus interdum accurate aliqui ex ipsis juxta Petavium locuti sunt. Non aliud porro voluisse Petavium, patet luculentissime ex iis, quae ipse scripsit in erudita praefatione, quam adtexuit libris de Trinitate, in qua ostendere aggressus est, *primum, ut ipse loquitur, universae et infinite traditionem in ecclesia versatam esse de Trinitatis vera et catholica fide; tum singillatim ex trium saeculorum scriptoribus*. Sane Bullus ceterique omnes Petavii insectatores illis ipsis usi sunt patrum textibus ad vindicandos patres antenicenos, quos in eadem praefatione delegit ac illustravit vir summus, et quo nemo melius adversus Crellium aliosque unitarios dimicavit, quique eos plane contrivit (1).

Ad 2. Neg. Neque enim Whitby vel quilibet alius id unquam effecit; agitur enim de documentis, quae omnium manibus teruntur, quae, nisi in alienum sensum detorqueantur vel mutilentur, non possunt unitariis favere. Omissis patribus apostolicis (quorum luculentia testimonia dedimus in probationibus), qui dimicantur adversus ebionitas, photinianos, samosatenos, aliasque ejus generis pestes, quique feliciter adeo rem confecerunt, ut arianam haeresim ante ipsius ortum penitus contriverint, nobis satis sit in medium adducere verba, quibus Irenaeus ebionitas refellit, lib. III, cap. 19, ubi inter cetera haec habet: *Ingrati existentes Verbo Dei, qui incarnatus est*

(1) Mirum est quot latratus in se excitaverit Petavii tribus recensitis capitibus; ut enim omitam Clericum, Jurieu, Faydit, qui summum virum ac acerrimum socinianorum impugnatores sociniani accensent, Bullus in *Præf. ad defensionem fidei Nicenae* eum acriter insectatur et omnigena haereticorum homine digna somnia sibi fingit. Attamen summum virum Franc. Oudin, Petrus Lazzari, Bossuetus in *Admonitione ad Protestantes prima* num. 28, Maran in opere saepe a nobis citato, *De divinit. D. N. J. C.*, P. Raymondus Adams in *Florentino Doctorum hominum diario*, tom. V, part. 5, art. 7, pag. 112 et seqq. alique non pauci ab omni suspicionis labe vindicant. Sed ante hos omnes apologiam suam Petavii ipse contexuit in eruditissima praefatione, in qua totius antiquitatis patres illustravit, ostenditque unam semper viguisse catholicam apud patres antenicenos sententiam; et ex ea, qui post eum scripserunt, Bullo ipso non excepto Petavii insectatore, potiora documenta sua desumpserunt. Sed digna est quae legatur Petaviana doctrinae apologia, quam doctissimus P. Zaccaria praemisit libris de Trinitate, in editione veneta, notis ab ipso illustrata an. 1757. Certe B. Card. Thomasius ita suspiciebat aurea scripta Petavii, ut profiteretur se unica eorum pagella magis erudiri, quam si spissa multorum volumina diurna ac etiam nocturna manu versaret, ut refert cl. P. Vezosius, clericus regul., in *notis ad primum vol. operum card. Thomastii*, pag. 135. Me dies defeceret, si omnia vellem eruditorum ac doctorum hominum testimonia adferre, certatim extollentium Petavii nomen, non solum ex catholicis; sed et ex ipsis protestantibus, qui unanimiter eum vocant virum incomparabilem ac de theologia patrum optime meritum. Horum specimen vide sis in edit. cit. Zaccariae vol. I, part. XXI.

propter ipsos. Propter hoc enim Verbum Dei homo, et qui Filius Dei est filius hominis factus est commixtus Verbo Dei (1).

Hinc patres Niceni ad arguendos arianos impietatis eos provocant ad perpetuam et constantem ecclesiae patrum traditionem. Sed de Whitby, patrum contemptore et irrisore, consulatur Feller *Dictionarium historicum*.

III. Inst. Atqui non in sola loquendi ratione, sed in ratione praeterea sentiendi patres anteniceni discrepabant ab hoc dogmate 1. enim alii docuerunt Deum Filium seu Verbum, non ab aeterno, sed ante res ceteras fuisse prolatum vel genitum, ut Deus eo tantquam administro ad res condendas uteretur; ut Tertullianus, lib. *Contra Praxeam*; Theophilus Antiochenus, lib. II, n. 19; Tatianus in *Orat. contra Graecos*, n. 5; Athenagoras in *Apolog.* n. 10; Hippolytus, lib. *De antichristo*, n. 50. Alii 2. docuerunt Filium etiam quoad naturam divinam esse Patri inferiorem; ita diserte Hippolytus, qui ibid. n. 15, tradit Verbum non fuisse perfecte Filium nisi post incarnationem, et Tertull. libro citato, cap. IX, Filium modulum dicit divinae substantiae, cujus plenitudo in solo Patre est, et Filium proprie factum esse docet, nec Deum semper fuisse Patrem, tum cap. XII, tum in lib. *Contra Hermogenem*; quibus in hac sententia praevocant Ignatius, Justinus, Irenaeus. 3. Alii solum Filium a prophetis visum docent, eo quod nec invisibilis ut Pater, nec immensus sit; ita rursus Justinus, Theophilus, Tertullianus. Quae quidem omnia aliaque his affinia satis ostendunt patres antenicenos longissime abfuisse a novitate inducta per concilii Niceni patres, quae vel ex eo deprehenditur, quod 4. non nisi post altercationes plurimas ipsi, ut refert Eusebius, *De vita Constantini*, lib. III, cap. 13, in eadem demum sententiam convenerint. Ergo 5. merito concludit Jurieu, Arian doctrinam omnium theologiam, nemine excepto, ante Nicenam synodum fuisse.

Resp. Neg. antec. Ad 1. D. Et haec dixerunt de sola generatione, seu verius de sola Verbi manifestatione ad extra, C. de generatione ad intra et proprie dicta N. Ut vero distinctio intelligatur, haec praeculis principia ex veterum theologia habenda sunt: 1. Existentia Verbi coaeterna Patri; 2. Verbi ipsius manifestatio in rerum creatione, quae Verbo tribuitur (2); 3. Verbi ipsius manifestatio in carne, cum scilicet homo factum est et habitavit in nobis. Primam aliquando supponunt, cum de alterutra vel de utraque posteriori manifestatione loquuntur, tametsi utramque comparare videntur quasi ad hanc tantum contrahant ipsam Verbi existentiam. Atque hinc etiam est quod, in alterutra ex hisce manifestationibus haerentes, Verbum interdum exhibere videntur quasi ita inexistens, ut neque a Patre distinguatur.

Talem esse mentem Tertulliani patet ex iis, quae

(1) Καὶ ἀκαριστοῦρας τῶν πατρῶν ἀκαριστοῦρας λόγῳ τοῦ Θεοῦ εἰς τὸν οὐρανὸν ὁ λόγος ἀνθρώπου... ἵνα ὁ ἀνθρώπος τὸν λόγον ἁρπάσῃ. Sed praestat integrum caput legere.

(2) Rationalista rerum creationem, prout in Scripturis traditur, mythum esse autumant.

scribit *Contra Praxeam*, ut enim cap. VIII: *Sermo* (seu Verbum) *et in Patre semper, sicut dicit: Ego in Patre, et apud Deum semper, sicut scriptum est: Et sermo erat apud Deum; et nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre, quia Ego et Pater unum sumus.* Quid ergo sibi voluit, dum cap. VII dixit tunc genitum perfecte Filium, cum dixit Deus: *Fiat lux*, nisi tunc externe manifestatum? Athenagora praeterea, Tatiani, Tertulliani, Theophili et Hippolyti hanc fuisse mentem explicat ipse Hippolytus, *Contra heres. Noëti*, cap. 40, dicens, quod ante mundi constitutionem nihil erat praeter ipsum (Deum), ipse solus nullus erat, nec erat sine ratione (εἰς λόγῳ) sine sapientia, sine potentia, sine consilio; omnia erant in eo, ipse erat omnia. Quando voluit et quomodo voluit, ostendit Verbum suum temporibus apud eum definitis, per quod omnia fecit... quod Verbum cum in se haberet, essetque mundo creato inaccessibile, fecit adspectabile, emittens priorem vocem, et lumen ex lumine generans (1). Adnotat porro Georg. Bullus, sect. VI, cap. 9, hanc secundam naturitatem metaphoricam, per operationem scilicet ad extra, praedicatam etiam ab Athanasio aliisque Patribus fuisse, qui tamen aeternam naturalemque Verbi naturitatem propugnabant (2).

Ad 2. D. Ratione originis, C. ratione naturae N. Hoc sensu Hippolytus alium docet esse Filium a Patre, non aliud; statim enim subdit: *Cum alium dico, non duos Deos dico, sed tanquam lumen ex lumine, aut aquam ex fonte, aut radium a sole.* Eodem sensu Tertullianus, *Contra Praxeam*, cap. IX, totam substantiam Patri tribuit, Filium autem portionem Patris nominat; portionis enim nomen pro derivatione vel emanatione, quam nos processionem dicimus, usurpat, quae derivatio totius sit substantiae in Filio. Nec enim ignorare poterat vir doctissimus, quod et rudes sciunt, divinam substantiam simplicissimam esse et indivisibilem, ex qua portio nulla rescindi possit, sed quae aut tota communicetur aut nullo modo (3).

Eodem sensu intelligendi sunt Ignatius, Irenaeus, Justinus aliique, dum Filium vocant Patris administrum, Patris subditum dicunt, ejusque voluntati servientem, consilio ac voluntate Patris genitum; quia nempe pater per ipsum omnia condidit, at quia non invite etsi necessario, summa tamen voluptate ipsum genuit, dum e contra creaturae sola ipsius voluntate ex nihilo prodierunt. Sic Justinus alibi Filium secundam post Patrem potestatem appellat, id est, personam; aliquando Patrem causam Filii dicit, id est principium. Ceterum et ipsi s. Athanasius, *Orat. III contra Arianos*, Hieronymus, *Apolog. I Cont. Ruf.*

(1) *Bibl. Patrum* Gallandi, tom. II, pag. 460, edit. Venet.

(2) Quod quidem evincit tum ex ipso anathematis symboli niceni, epistolae Imperatoris Constantini, S. Zenonis, ac praecipue, ut diximus, S. Athanasii. Verum cavendum est ab hujus auctoris lectione, juvenibus praesertim, quia ubique fere odium suum in ecclesiam catholicam patet.

(3) Bullus loc. cit. pag. 40, fuse exponit mentem Tertulliani, sed melius Maran, lib. IV, cap. 11 et 12.

suum, Augustinus, *Adversus Maximinum*, et Cyrillus Alex. *Dial. III. de Trin.* iisdem vocibus saepe uti sunt; quia scilicet totum quod habet Filius, accipit a Patre, et quia Patris ratio excellentiam quamdam exprimit, qua major aliquo modo sit Filio.

Ad 3. D. Solum Patrem invisibilem et immensum dixerunt, ratione nempe missionis ac derivationis ad extra, quam utique nullam habuit Pater C. ratione praestantioris naturae N. Itaque non de derivatione ad intra, sed de sola derivatione ad extra sermonem habent patres citati, et praesertim Tertullianus, dum *Contra Praxeam*, cap. XIV, dicit: *Patrem invisibilem pro plenitudine majestatis, visibilem vero Filium pro modulo derivationis*; quod solis similitudine explicat, quem nobis intueri non licet, radium autem ejus toleramus oculis pro temperatura portionis, quae in terram inde porrigitur. Scilicet quidam veteres patres in ea fuerunt sententia, quod Deus, cum loqueretur prophetis et patriarchis, Filium suum miserit in ea humana figura, quam assumpturus erat in incarnatione. Ceterum privata haec fuit veterum illorum opinio. Augustinus aliique patres apud Petavium, *De Trin.* lib. VIII, cap. II, modo Patrem, modo Filium, modo Spiritum Sanctum, modo Trinitatem totam visam a prophetis in symbolis ac schematibus docent. Certe invisibilem et immensum etiam Filium dixerunt veteres, qui ne animo quidem comprehendere possit (1), ut ait auctor antiquissimus *Epistolae ad Diognetum*, inter opera S. Justini (2); superius protulimus S. Irenaei in hanc sententiam testimonium.

Ad 4. D. Ex parte eusebianorum vel Arii fautorum, C. ex parte catholicorum N. In ea siquidem synodo Ario favebant Eusebius Nicomediensis, Theognis Nicææ, Maris Chalcedonis, Theonas Marmaricæ et Secundinus Ptolemaidis episcopi, viri subdoli, eloquentes, acuti, qui subtilitatibus suis turbare simplices ac minus eruditos poterant; subdit tamen Eusebius, *De vita Constantini*, lib. III cap. XIV: *Unius fidei consonantiam apud omnes obtinuisse.*

Ad 5. Neg. Pessimam enim ac falsam ejusmodi Jurien consequentiam prorsus evertit S. Athanasius, dum in opere de Synodi Nicænae decretis, pag. 235, sic arianos alloquebatur: *En igitur nos quidem demonstravimus istiusmodi sententiam (de Filii cum Patre consubstantialitate) a Patribus ad Patres quasi per manus esse traditam. Vos autem, o novi Judaei et Caiphae discipuli, quos demum assertionum vestrarum Patres ostendere valetis? Ne unum quidem ex prudentibus et cordatis nominare potestis; cuncti vos avertuntur, praeter unum diabolum, qui solus hujus definitionis vobis auctor fuit (3).*

IV. Inst. 1. Si ita est, qui igitur est factum, ut ariana doctrina totum fere orbem pervaserit? Cur 2. in baptismi administratione nulla fiebat expressa divinitatis Filii et Spiritus Sancti mentio, ut patet ex

(1) *Verbum sanctum ac incomprehensibile.*

(2) Hunc auctorem plures eruditi ipso Justino anteriorem aetate censent.

(3) Num. 27, edit. Maur.

compendiosa fidei professione, quam baptizandus emittere debebat: *Credo in Deum Patrem, Filium et Spiritum Sanctum?* Cur 3. denique ejusdem harum personarum divinitatis nulla mentio occurrat in symboli expositionibus apud Irenaeum et Tertullianum?

Resp. ad 1. Neg. factum, quod falso supponitur; 1. Ariani enim proprie dicti semper pauci fuerunt; 2. ut se tegerent, formulas suas catholicae fidei conformes, saltem in cortice litterae, ediderunt; 3. populi alieni semper ab hac impietate fuerunt; 4. fraudibus interdum, ut mos est haereticorum hominum, venenum ac subdole propinare, interdum vi et aperta violentia illud ingerere ariani moliti sunt; 5. fides nicæna, magno plausu ab omnibus catholicis ecclesiis excepta, triumphum cecinit.

Ad 2. Neg. pariter, quod nimia confidentia Episcopius obrudit. Superius ex Celso rationem ostendimus, qua catechumeni instruerentur. Confirmatur responsio ex fidei professione emissa ab Equocho reginae Candacis, antequam ad baptismum admitteretur, dicente: *Credo Filium Dei esse Jesum Christum.* Vix in tantulo verborum circuitu, quem nobis objicit Episcopius, clarius Filii et Spiritus Sancti divinitas exprimi potuit, accedente praesertim hujus formulae expositione.

Ad 3. Nullam reperiri, ut ait Episcopius, apud Tertullianum et Irenaeum divinitatis Christi mentionem, tam aperte falsum est, ut plane nesciam, inquit Bullus, quo judicio, qua fide quae conscientia illud tam fidenter affirmare potuerit. Sed ita est; nisi haeretici et increduli mentiantur, nihil proficiunt. Plura exempla dedimus.

II. Obj. Saltem Nicæna synodus vocem consecravit obscuram et ambiguum. 1. Vox enim ὁμοούσιος sponte sua non ad unitatem numericam, sed specificam refertur. Aristoteles vocat stellas ὁμοούσιος; homines ὁμοούσιος sunt, quia ad eandem speciem pertinentes substantiae. Quare 2. merito hanc vocem proscripterat, longe ante Nicænam concellium, synodus Antiochena, contra Paulum Samosatenum anno 269 vel 270 congregata. Dicendum propterea 3. patres Nicænos fuisse tritheismi lahe infectos, ut patres alii non pauci per ea tempora. Ergo (4).

(1) Ita Clericus in *Epist. crit.* m. pag. 91. Qui exinde infert patres Nicænos fuisse tritheistas: *Credabant enim*, inquit (in notis ad illud Joannis: *Et hi tres unum sunt*), substantiae unitatem, non numeri singularitatem, ut loquitur Tertullianus, hoc est, unicam esse specie substantiam Patris et Filii et Spiritus Sancti, sed numero triplicem; et vades tam iniqui iudicii dat Petavium, Curcellæum, Codworthum, etc. Eadem repetit pluribus in locis, praesertim tom. III, *Biblioth.* p. 507; tom. X, pag. 29, 50, 454, etc. Quem imitatus Gibbon in *Hist. casus Imperii Rom.*, loquens de voce *homousion*, spectat eam tanquam vocabulum mysteriosum, quod unusquisque ad suam exprimendam opinionem poterat contorquere; et ideo, inquit, illud admisit major pars episcoporum qui concilio Nicæno interfuerunt, quorum nonnulli Trinitatem nominalem tantum admittere visi sunt, alii vero, inter quos doctissimus Gregorius Nazianzenus, et intrepidus Athanasius tritheismo favebant, etc. Vid. cap. 21, pag. 22, tom. III, edit.

Resp. ad 1. Neg. in sensu, quo a Nicæna synodo usurpata fuit. Nam adeo explorata res erat, per vocem *consubstantialium* patres Nicænos intellexisse unitatem numericam, ut nullum lapidem non moverint ariani eorumque fautores, ut illos ab hac voce consecranda dimoverent; sed frustra, quia patresprehenderunt aptissimam hanc vocem esse ad omnes versutias et fraudes eusebianorum praevendendas. Post Nicænam synodum nihil intentatum illi haeretici reliquerunt ad eam formulam supprimendam aliamque ipsis minus incommodam substituendam, ut patet ex tot formulis ab ipsis editis, atque ex ipso concilio

London. 1825. At 1. inique prorsus Clericus et Curcellæus Petavium inter patrocinatores suos recensent, quo, (ut loquitur Maran. lib. IV, cap. 29, n. 1), nemo melius unitatem essentiae numericam ex graecis latinisque patribus demonstravit. Sane Petavium, *De Trin.*, lib. IV, cap. 13, unicam esse numericam essentiam in tribus personis ex doctrina patrum quinque argumentis invictè demonstravit. Haec apud Petavium Clericus legere debuit, praesertim cum ipse sub eminentio nomine Thomae Alethini notulas apposuerit Petaviano operi editionis Antverpiensis, quae revera Amstelodami excusa est anno 1700, et ad loc. cit. not. 26, juxta praeconeptam suam sententiam scripserit: *Ut hodierno more responderemus, unam rationem unitatis diceremus singularitatem unius numero essentiae; qua posita, ceterae memoratae dignae non sunt. Sed aliter olim philosophabantur.* Sed maluit Curcellæum sequi, qui in *Appendice ad suam dissertationem* accisum et detruncatum Petavii locum descripsit. Curcellæum et Clericum imitatus est *Faydit* in *Apol. system. SS. P.P.* pag. 89. Num melius quidquam expectes ab his, quos neque fides neque conscientia urget? 2. Quod attinet ad tritheismum patrum juxta Gibbonium aliosque ejusdem farinae homines, qui accusant potissimum de hoc errore s. Athanasium, ceteris praetermissis, satis nobis sit iis opponere alium heroem, cujus auctoritatem ipsi recusare non possunt. Wegscheider enim § 89, in not. a, sic fidenter scribit: *Vocabulum ὁμοούσιος a Patribus Nicænis non eodem, quo postea ad normam doctrinae orthodoxae definitum est, sensu, hoc est, de identitate naturae et substantiae dictum fuisse, negari nequit (Miraminor intrepidus iudicis definitivam sententiam): Patres Nicæni hac voce potius substantiam divinae omnino ὁμογενῆ et unitatem quamdam specificam, arctissimam quidem et perfectissimam, ejusmodi in nullis aliis ejusdem speciei naturis deprehenditur, significasse videntur, ita ut Patri et Filio singulas virtutes divinas, velut aeternitatem, immutabilitatem, eodem sensu attribuerent, hoc tantum inter Patrem Filiumque discrimen statuentes, ut ille ἀγέννητος sit, hic ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς ab aeterno genitus. Athanasius autem postea huic vocabulo, a Synodo Nicæna non accuratius definito, suam ipsius de Filio, τῷ λόγῳ, scilicet sapientia Dei ab aeterno subsistente, sententiam substruxit, qua et ipse unitatem Patris et Filii numericam, ἑνότητα καὶ ταυτότητα τῆς οὐσίας τριάδα ἐν μονάδι unitatem et identitatem naturae, Trinitatem in unitate, non ternionem quemdam, sed trinitatem, ab Augustino demum strictius finita indicabat... Qua trinitate accepta, ὁμοούσιος (consusubstantialitatis) notio ad doctrinam orthodoxam accommodatæ sic constituitur, ut tres esse personas ἀσθενῶν in una eademque essentia divina solo caractere hypostatico a se invicem distinguendas.* Juxta Clericum, Curcellæum, Gibbon, etc. Athanasius fuit coriphæus tritheistarum; juxta Wegscheider, Fuchs, Müncher, seu rationalistas idem Athanasius fuit auctor unitatis numericæ! Sed cfr. ipse Athanasius in libro *De decret. Nic. Syn.* n. 19. et 20, et apparebit quanta sit impiorum omnium impudentia.

Ariminensi, Catholicos per contemptum *homousianos* vocabant. Porro de voce obscura et ambigua *vaferini* hæretici adeo solliciti minime fuissent.

Ad 2. *Neg.* Exploratum jam est apud melioris notæ criticos, supposititiam esse illam synodi Antiochenæ damnationem vocis *ὁμοούσιος*; quod patet 1. ex eo quod non nisi post 90 annos a celebratione illius synodi a semiarianis in concilio Ancyrano anno 338 mentio hujus damnationis facta fuit; 2. ex silentio arianorum, quos profecto illa damnatio, si extitisset non potuisset latere; 3. ex silentio eruditissimi Eusebii Cæsariensis, addictissimi arianis, et cui semper illa vox displicuit; qui non solum tacet suppositam illam damnationem, sed ultro fatetur vocem illam ab antiquis patribus fuisse usurpatam, quemque constat eidem in conc. Nicæno subscripsisse; 4. ex eo quod ss. Athanasius, Hilarius, Basilius, decepti in hoc facto a semiarianis fatentur se acta illius synodi non vidisse (1); 5. ex accusatione data Dionysio Alex. apud Dionysium Rom. Pont. quod *Filium rem creatam nec Patri consubstantialem*, *ὁμοούσιος* diceret; 6. ex apologia s. Pamphili pro Origene paucis annis post illud decretum exarata, in qua ostendit Filium consubstantialem Patri; 7. ex eo quod in damnatione Pauli Samosatani sæpius eadem voce utitur eadem synodus (2).

Ad 3. Resp. hanc non esse nisi infamem calumniam prolatam in illos sanctissimos patres a nostris unitariis, quibus patres Nicæni nimis odiosi sunt et invis. Quod veteres ariani ne suspicari quidem sunt, id nunc rationalistæ, quibus in asserendo perfricta frons est, pro certo ac indubitato habent (3).

#### CAPUT IV.

##### DE DIVINITATE SPIRITUS SANCTI.

Divinitatem Spiritus Sancti præter obscuros nonnullos hæreticos quorum meminit s. Ignatius in *Epist. ad Trallianos*, directe impugnarunt macedoniani, sic dicti ab auctore sectæ Macedonio ariano constantinopolitano antistite intruso sub Imperatore Constantio. Hic docuit Spiritum Sanctum creaturam esse, ac proinde natura et dignitate Deo longe inferiorem. A pluribus synodis, tunc temporis celebratis, proscriptus ejusmodi error statim fuit, ac præsertim in œcumenica Constantinopolitana I., anno 381.

Sociniani ulterius progressi, inficiati sunt Spiritum Sanctum personam esse subsistentem; sed contendunt eo nomine non designari nisi Dei virtutem seu vim et efficaciam.

(1) Cfr. Maran, lib. iv, c. 29, § 2.

(2) Cfr. Maran, *Dissertat. sur les semi-ariens*, Paris 1722, nec non *Diss. de voce Homousion*, auct. P. Liberato Fassonio, congr. schol. piarum, Romæ 1753, quam suo *Thesaurio Theologico* inseruit P. Zaccaria, vol. III, pag. 211.

(3) Cfr. Maran, lib. iv, cap. 50, ubi usque ad evidentiam ex publicis et notoriis factis evincit, numeralem essentiam unitatem a patribus Nicænis et subsequentibus propugnatam fuisse.

Rationalistæ eandem instaurarunt impietatem, et nasquam in Scripturis hypostaseos veræ notionem Spiritui Sancto tribui contendunt (1).

Hi omnes in Spiritum s. blasphemii, reique propterea æterni delicti, communi, *pneumatomachorum* nomine censentur. Quibus armis dogma ss. Trinitatis ac divinitatis Verbi propugnatum, iisdem Spiritus Sancti divinitatem adversus eos defendere nunc aggredimur. Quum vero illa argumenta, quæ ex ss. Litteris et universa traditione promemus, non modo Spiritum Sanctum vere proprieque Deum esse evincant, sed et peculiarem hypostasim seu personam subsistentem, hinc postremum istud instar corollarii, prout nempe præstitimus de Verbo agentes, ex asserta ipsius divinitatis veritate deducemus. Sit itaque:

PROPOSITIO I. — *Spiritus Sanctus vere ac proprie Deus est, ut in primis ex Scripturis constat.*

Est hæc propositio de fide, prout ex omnibus fidei nostræ professionibus ac symbolis patet.

Sic vero ejus veritatem ostendimus ex Sacris Litteris: Scripturæ Spiritui Sancto Dei nomen tribuunt ac divinas proprietates et operationes; ergo ex Scripturis Spiritus Sanctus vere ac proprie Deus est.

Ac primo quidem Dei nomen et appellationem Spiritui Sancto tribuunt Actus apost. V, 3, 4. Sic enim Petrus Ananiam objurgat: *Cur tentavit Satanæ cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Ille enim, cui mentitus est Ananias, Deus dicitur; atqui hic est Spiritus Sanctus; ergo Spiritus Sanctus Deus vocatur. Rursum Hebr. III, 7, ait Apostolus: *Quapropter sicut dicit Spiritus s.: Hodie si vocem ejus audieritis;* hunc autem Spiritum S. versu 12 Deum vocat, dicens: *Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo.* Ex quibus idem exurgit argumentum. Quod pariter conficitur ex Is. VI, 9, ubi Dominus Deus Sabaoth locutus esse dicitur: *Audite audientes, et nolite intelligere.* Atqui hæc verba tanquam prolata a Spiritu Sancto refert Apostolus, Act. ult. 25, dicens: *Quia bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam... dicens: vade ad populum istum, etc.* Ergo ex Apostolo idem est Dominus Sabaoth ac Spiritus Sanctus. Idem præterea Apostolus I Cor. III, 16, fideles templum Dei vocat: *Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* ac postea (Ibid. VI, 19) eosdem Spiritus Sancti templum esse confirmat, dicens: *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti? Deum propterea Spiritum Sanctum expresse nominat hic et alibi passim.*

(1) Henke, lib. 1, pag. 104 et seq.; Ammon, *Bibl. Theol.* pag. 252 et seqq.; Ei, *Summa Theol. Christ.* p. 92 et seq.; Schmid, *Die Christl. Religion als Wissenschaft*, seu *Christiana religio tanquam scientia*, Jenæ 1797, p. 317 et seqq.; Löffler *an Souverain über den Platonismus*, etc., seu, *Löffler ad Souverain, de Platonismo Ecclesiæ Patrum*, pag. 426 et seqq. apud Weisch.

2. Nec solum nomen, sed et proprietates, quæ tui Deo competunt, passim Scripturæ Spiritui Sancto tribuunt. Cujusmodi sunt *omniscientia*, I Cor. II, 10 et seqq.: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei... quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*; et Joan. XVI, 13: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; item *omnipresencia* Sap. I, 7: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et Psalm. CXXXVIII, 7; Quo ibo a Spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Omnipotentia*, Psal. XXXII, 6: *Verbo Domini cæli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*; ac Luc. I, 35, *Virtus Altissimi dicitur*; nec non *vivificandi vim*, Rom. VIII, 11, Apostolus ei tribuit, scribens: *Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis... vivificabit et mortalia corpora vestra.*

3. Scripturæ Spiritui Sancto tribuunt præterea operationem et efficientiam divinam. Talis est *inspiratio prophetarum* I Pet. I, 11, qui futura prænunderunt, prout significavit eis *Spiritus Christi*; ac rursum II Pet. I, 21: *Spiritu Sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines; Creatio et rerum conservatio*, Psal. CIII, 50: *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ; Operatio miraculorum*, Matth. XII, 28: *In Spiritu Dei eicio demones, et I Cor. XII, 4; Opera gratiæ, cujusmodi sunt Christi conceptio*, Luc. I, 35; *Unctio et missio*, Is. LXI, 4; *Peccatorum remissio et regeneratio*, I Cor. VI, 11; *Regimen Ecclesiæ*, Act. XIII, 2; *Collatio donorum*, I Cor. XII, 4: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Divisiones ministracionum sunt, idem vero Dominus, et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus; Sanctificatio*, II Thess. II, 12, et I Pet. I, 2; *Diffusio charitatis*; Rom. V, 5; *Resurrectio mortuorum*, Rom. VIII, 11.

4. Idem cultus et honor tribuitur Spiritui Sancto qui Patri et Filio; ut patet ex forma baptismi, de qua superius diximus; et rursum II Cor. XIII, 13, sic Apostolus tres personas conjungit dicens: *Gratia D. N. J. C. et charitas Dei et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.*

5. Ita Spiritus S. Filio comparatur, ut dicitur (Joan. XIV, 16) *alius Paraclitus*, per comparationem ad Christum; eadem origo divina ipsi adscribitur, ibid. XV, 26, vocante eum Christo *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*; eadem ratione ac de Filio dicitur, quod *exierit a Deo.*

Ex quibus omnibus sic instruimus argumentum: Ille vere et proprie Deus dicendus est, cui Dei appellatio divina, divinæ operationes, divinus cultus, honor et dignitas, divina demum processio et origo tribuuntur; atqui ex dictis talis est Spiritus Sanctus juxta Scripturas; ergo.

Rursum: Ille non sola vis, attributum et efficientia, sed vera hypostasis seu persona subsistens dicendus est, qui perhibetur vivens et operans eadem ratione ac illa personæ quibus comparatur; quique mitti perhibetur, et alius dicitur, et dicitur procedere, perinde ac Filius Dei, qui certe est persona

subsistens; atqui ex demonstratis talis est Spiritus Sanctus; ergo Spiritus Sanctus et Deus et divina peculiaris subsistens persona est.

##### DIFFICULTATES.

1. Obj. 1. Nusquam substantia quædam corporea, scilicet *materialis*, hujus Spiritus divini commemoratur; 2. neque modus, quo procedat a Deo, ostenditur. Quod si 3. prædicata divina Spiritui Sancto tribuuntur, recte id sit, quatenus vel ipse Deus hoc Spiritus Sancti nomine significatur (Joan. IV, 24 et seqq. I Cor. III, 16; XII, 6-11), vel 4. vis quædam Dei in animis hominum efficax, quæ pro rudioris ævi ingenio ac dicendi genere tanquam peculiaris natura a Deo procedens cogitatur, ideoque proprietatibus divinis potest ornari. Attamen 5. in ipsis libris sacris nec veræ hypostaseos nec processus a Filio notio satis perspicue declaratur. (1). Ergo.

Resp. ad 1. *D.* Id est, *subsistens*, N. alio sensu C. Toties enim in Scripturis substantia proprie dicta et subsistens Spiritus Sanctus prædicatur, quoties Deus dicitur vivens et operans, et distinguitur expresse a persona Patris et Filii; quod sit, ubi a Patre procedere dicitur ac mitti, item accipere de eo quod est Filii, ut Joan. XVI, 15, et inferius expendemus, item ubi mittitur a Filio, ibid. XV, 26. Tum Luc. III, 22: *Et descendit Spiritus S. corporali specie sicut columba in ipsum (Christum), et vox de cælo facta est: Tu es Filius meus dilectus, quibus verbis tres personæ subsistentes et distinctæ commemorantur. Quod pariter constat ex I Joan. V, 7, juxta superius demonstrata cap. II, prop. II, (2). Falsum igitur est, quod assumunt adversarii.*

Ad 2. *Trans. et neg. cons.* Ex eo enim, quod modus alieujus rei expresse non tradatur, concludi nequit non existere rem ipsam. Modum ignoramus, quo anima agat in corpus, et vicissim; ergo non existit

(1) Wegsch. § 86.

(2) Ut specimen sumant lectores exegeseos neotericorum biblicorum protestantium; placet hic subficere, quæ in cap. 5. s. Matth. v. 17, adnotavit Georg. Rosenmüller ad illa verba: « Et ecce vox e cælo, etc. sape, inquit, est tonitru, Ps. xxix, 5 et seqq.; xviii, 14, et sic *φωνή* legitur etiam Apocal. vi, 1, Hebræi autem æque ac Græci et Romani fulmina et tonitrua annumerabant signis presentie Dei et prodigiis divinitus factis, quorum significationem ex rerum circumstantiis dijudicabant. Vid. I Reg. viii, 10; xviii, 58, 59; Ovid. *Fastorum* iv, 854; Virgil. *Æneid.* ii, 693. Tonitru igitur Joanni erat publica declaratio Dei Jesum esse Messiam... Sed illa filia vocis (vox de cælo *φωνή* ex τῶν οὐρανῶν) plerumque nihil aliud fuit quam vox aut echo temere aliunde auribus illapsa, ex qua, divina ei origine adscripta, auguria captarunt homines supersticiosi, vel etiam vox hominum aliorum, quam omnis loco arripuerant, et in rem suam interpretati sunt. Ex his patet nihil aliud intervenisse in baptisate Christi quam tonitru et ignea species, ut in versu præcedenti exponit, ex quibus Joannes Baptista ac reliqui præsentis omni sumpserunt de Jesu Messia, etc. Si hoc non sit verbum Dei pervertere, quid sit nescio.